Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-576340-p0001-4

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-576340-p0002-0

//

1
1.
2
3.
4.
5
6
7.
8
9
10
11

1638.

1. Dilherrus, Johann Michael: De censoribus.

2. Dilherrus, Johann Michael: De nuptiarum.

3. Dilherrus, Johann Michael: Philologemata.

4. Fabricius, Gothofredus: De homicidio.

5. Fabricius, Gothofredus: De jure venandi, aucupandi et piscandi. 2 Exempl. 1638 & 1756

6. Fornerus, Adolphus: De principum imperii jure. 2 Exempl. 1638 & 1698.

7. Praetschenck, Zacharias: Quaestiones controversae ex jure patrio decerptae.

8. Praetschenck, Zacharias: De modo ac usu computationis graduum.

9. Praetschenck, Zacharias: De furtis

10. Praetschenck, Zacharias: De purgatione canonica et vulgari.

11. Praetschenck, Zacharias: De jure retractus

1638.

12. Richterus, Christophorus Philippus: Decuria gemina quaestionum

13. Richterus, Christophorus Philippus: De solutione, decreto et auctoritate

14. Thorion, Petrus: Dubia juridica.

15. Ungepaus, Erasmus: De veniae aetatis petitione ad l. 2 C. de his, qui ven. aet. impetr.

16. Ungepaus, Erasmus: De regalibus. 2 Exempl.

17. Ungepaus, Erasmus: De adjecto.

18. Ungepaus, Erasmus: De jure Hofiano. 2 Exempl. 1638 - 1724.

19. Ungepaus, Erasmus: De venatione. 2 Exempl.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-576340-p0007-7

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-576340-p0008-3

11396.

18.1638,3
3

PHILOLOGEMATA,

sub
PRÆSIDIO
CLARISSIMI ATQUE EXCEL-
LENTISSIMI
VIRI

DN. JOHANNIS MI-
CHAELIS DILHERRI, M. PHI-
LOLOGI CELEBERRIMI,
Orator. Historiar. & Poës.
Prof. Publ.

Præceptoris sui omni honoris & reverentiæ
cultu devenerandi,

Placidæ συμφιλολογέντων ζητήσει
publicè proposita

In Auditorio majori
Ad diem Augusti

AB
HENRICO STAPHORST HAM-
BURGENSI.

ANNO
clɔ Iɔc XXXVIII.

JENÆ,
PRELO LOBENSTEINIANO.

Hist. Crim.
1836.

SALVE!

In Christo, Domino ac Deo nostro

vive feliciter!

Vir plurimùm Reverende & Clarißime,

Dn. M. NICOLAE STAPHORST,

Archidiacone apud Hamburgenses ad

S. Petri meritissime, Domin. ac Pater summo

amore & cultu maximo æternùm pro-

sequende!

Tempus hoc messis, quod propemodum emensi sumus, me quoq; hortatur, ut vel tandem ex meo Tibi agello, licet paupere, aliquot, si non mergetes, tamen aristas adferam: quas quo animo sis accepturus, si dubitem, vehementer in viscera adfectus paterni sim injurius. Placebit Patri, quod parvulum est: quandoquidem à filio Patris observantißimo proficiscitur. Veniam da ætati, meis spatium conatibus: & anni, si quos Deus dederit, venturi, menda præsentia emendabunt. Servet Te Omnipotentia cælestis Ecclesiæ, Patriæ, meis ac denique mihi. Dabam in Illustri Sabana è Musèo, V. Calend. Septemb. Anni Redemptionis humanæ M.DC.XXXIIX.

R. C. V.

Observanter & obsequiosè

colens F.

HENRICUS.

ANTELOQUIUM.

IUcundum & amœnum eſt, hoc anni tempore in picta diverſicoloribus floſculis prata ac hortos, non quidem Alcinoi vel Heſperidum; ſed navorum prodeambulare colonorum, qui ſpem proventus in mitiſſima Dei benignitate, ac indefeſſa ſua diligentia reponunt. Nobis, miſſa jam iſthac voluptate, omni deambulatione jucundius ſit & amœnius,

Floriferis ut apes in ſaltibus omnia libant;
Paucula nos itidem carpamus ut aurea dicta,
Aurea perpetuâ ſemper digniſſima vitâ.

I.

Pœna Parricidii: inquiritur in rationes, quam obrem in culeum, cui Parricidæ inſuebantur, incluſæ fuerint iſtæ beſtiæ? Canis, gallus gallinaceus, vipera & ſimia: Detegitur vetuſtus ſcriptorum error, qui viperillas eroſa matrum alvo naſci exiſtimarunt.

TAm horribile eſt parricidii crimen, ut *Solon*, Athenenſium Legislator, de eo legem non tulerit, arbitratus: neminem tantæ impietatis fore, ut illud perpetraret: adteſtante *Cicerone in Oration. pro Roſcio Amer.* Eadem fuit *Romuli ſententia:* qui & ipſe legem de eo ſancire prætermiſit: ut tradit *Plutarchus in vita Romuli.*

2. Sed hominum malitia bonorum istorum virorum fiduciam est supergressa. Comprehensi enim sunt, non unus & alter, sed plures, quàm sunt

Thebarum portæ; vel divitis ostia Nili;

qui tanto se facinore obstringerent.
Proinde etiam pæna ipsis certa fuit decreta. Nimirum Majores Romanorum, & Imperatores, parricidas insui voluerũt in culeum sive saccum ex corio factum, unà cum *cane, vipera, simia & gallo gallinaceo*, atq; ita in mare vel flumen præcipitari: aut, si mare vel flumen propinquum non sit, bestiis obijci.

3. Sed præstat ipsa Jureconsulti *Modestini* verba L. 9 *ff. de leg. Pompeia, de parricidiis* adscribere: *Pœna parricidii, more majorum, hæc instituta est: ut parricida, virgis sanguineis verberatus, deinde culeo insuatur, cum cane, gallo gallinaceo, & vipera, & simia; deinde in mare profundum culeus jactetur. hoc ita, si mare proximum sit, alioquin bestiis obijciatur, secundum Divi Hadriani constitutionem.* Ut & *l. un. C. de his, qui parentes vel liberos occiderunt. Si quis parentis aut filii, aut omninò adfectionis ejus, quæ nuncupatione parricidii continetur, fata properavit, sive clam sive palam id enisus fuerit, pœnâ parricidii puniatur: & neq; gladio, neq; ignibus, neq; ulli alii solenni pœnæ subjugetur; sed insutus culeo cum cane & gallo gallinaceo & vipera & simia, & inter eas ferales angustias comprehensus serpentium contuberniis misceatur: & ut regionis qualitas tulerit, vel in vicinum mare, vel in amnẽ projiciatur: ut omni elementorum usu vivus carere incipiat, & ei cælum superstiti, mortuo terra auferatur.*

4. Audiendus etiam nobis est disertissimus Romuli nepotum in laudata anteà oratione: *O singularem sapientiam, judices! nonne videntur hunc hominem ex re-*

ex rerum natura ſuſtuliſſe, & eripuiſſe, cui repentè cælum, ſolem, aquam terramq; ademerunt; ut, qui eum necaſſet, unde ipſe natus eſſet, careret iis rebus omnibus, ex quibus omniæ nata eſſe dicuntur? Noluerunt feris corpus obijcere, ne beſtiis quoq;, quæ tantum ſcelus attigiſſent, immanioribus uteremur: non ſic nudos in flumen deijcere, ne, cùm delati eſſent in mare, ipſum polluerent, quo cætera, quæ violata ſunt, expiari putantur. Denique nihil tam vile, neq; tam vulgare, cujus partem ullam reliquerint. Etenim quid tam eſt commune quàm ſpiritus vivis, terra mortuis, mare fluctuantibus, litus ejectis? ita vivunt, dum poſſunt ut ducere animam de cælo non queant: ita moriuntur, ut eorum oſſa terra non tangat: ita jactantur fluctib. ut nunquam abluantur: ita poſtremo eijciuntur, ut ne ad ſaxa quidem mortui conquieſcant.

5. Beſtiæ etiam, certis de cauſis fuerunt additæ: quas, ex communiori ſententia, recenſet Jureconſultus celeberrimus *Benedictus Carpzovius in practica criminali imperiali Saxonica, part. 1. Quæſt. 8. § 9. Canis*, inquiens, „ *nimirum; ut ſceleratum oſtendat hominem & immundum, qui parentem occiderit: vel ad arguendam infidelitatem, quia canis homini infideliſſimum animal eſt: vel quod fame rabida percitus canis parricidæ corpore & cadavere paſcatur. Gallus gallinaceus quod pugnax ſit, & viperæ inimicus, quæ cum eo inſuta eſt: vel quod gallus vigil cantu ſuo non permittat, parricidam ſomno cruciatum lenire: vel ut cantu intercluſo audito, à navibus prætereuntibus quilibet invitetur ad conſpiciendum atrociſſimum ſcelerati parricidæ ſupplicium. Vipera, quod ſimili ſit obnoxia delicto: cum & ipſa, exeſo parentis utero, prodeat in lucem: vel quod vipera & anguis maximum ſemper homini horrorem ac timorē incutiant. Simia quod*,

præter humanam quandam similitudinem, nil habeat hominis, ut & parricida. Eodem ferè modo *M. Zuerius Boxhorinus*, in Quæstionbꝰ Romanis, quæst 36. *Quærimus, cur hæc animantia cum parricida conjunxerint Romani? An viperam? quia, dum nascitur, adroso perruptoq; ventre matris, eam occidit. An simiam? quia catulos suos, quos maximè diligit, compressu brachiorum, & vi osculorum necat? Num verò, quòd parricida, instar simiæ, magis vultum hominis, quàm hominem repræsentet? An gallum? quia innatum illi est, cum parentibus & liberis suis colluctari.*

6. Harum rationum quasdam exprimit quoq; *Gloss. in* Landrecht. *lib. 2. art. 14. vers.* Nun mögstu sagen &c. ibi: Der Hund zeiget an/daß ein solcher Mensch seine Elteren nie mit Ehren erkand hat / wie der Hund thut / welcher die ersten neun Tage blind ist. Der Han bedeutet / deß Menschen Frevel vnd dürstigen Hohmuth / den er an seinem Vater oder Kind begangen hat. Die Nater bedeutet solcher Eltern Vnglück: Dann von dieser geberung sagt man also. Daß/wann sie sich gatten wollen/so steckt das Männlein sein Häupt in des Weibleins Mund/ darvon empfehet sie/vnd alda beisset sie dem Mänlein vor Wollust das Häupt abe/ darnach wenn sie die Jungen gebieret / muß sie von jhnen wieder sterben. Dann als dieselben sollen gebohren werden/ beissen sie sich aus der Mutter Leibe/davon sie dann von Stund an stirbt. Der Aff bezeichnet eines Menschen Gleichnüß/oder Todes Ebenbild ohn Werck. denn wie der Aff in vielen Dingen einem Menschen gleich ist/vnd ist aber doch kein Mensch: Also ist dieser Mörder einem Menschen ähnlich gewesen / ist aber mit der That vnd Hertzen kein Mensch gewesen/weil er so Vnmenschlich hat an seinem eignen Blut thun dörffen.

7. Qüamvis verò ista de partu viperarum sententia non sit heri demum aut nudius tertius nata; sed perantiqua: ad experientiæ tamen obrussam examinata,

nata, labaſcit. Producamus teſtimonia Duum virorum graviſſimorum, *Julii Cæſaris Scaligeri*, & *Job. Pierii Valeriani:* quorũ hic de vipera lib. XIV. Hieroglyphicorum: *Filios adverſus matrem conſpirantes, Ægyptii ſacerdotes per viperæ hieroglyphicum notabant. Theophraſtus autem negat viperarum uterum à catulis ſuis exedi: namq; autor ille ſummæ inter Græcos diligentiæ, aliam in his maternæ mortis cauſam comminiſcitur; diſrumpi quidem ſponte uterum, utpote qui anguſtus adeò ſit, ut tam numeroſæ multitudinis prolem & incrementum capere non poſſit. Idem marinis acubus evenire, quas admodum tenues prolis multitudo diſrumpi cogat. Fuerunt etiam ætate noſtra, qui has, quas putamus viperas, utriusq; ſexus electas vivariis incluſere, easq; inſtar aliorum animalium conjungi, concipere, parere, educareq; fœtus ſuos experimento compererunt, nullo parentum deſiderato.* Ille verò exercitatione CCI. §. 51. *Plinio*, inquit, *in nono, Belonæ dehiſcere ventrem ſcribit, propter fœtuum multitudinem: deinde coaleſcere. Quod quia & ille cæcis ſerpentibus commune prodidit, & vulgus adfirmat viperis evenire: viperas verò ab impatientib. moræ fœtibus numeroſiſſimis, atq; iccirco erumpentibus rumpi, atq; interire falſum eſſe ſcimus: qui in Vincentii Camerini circulatoris lignea theca vidimus enatas viperillas parente ſalva.*

8. Quid jam dicemus? ſtabimusne iſtorum antiquorum autoritate? An verò id, quod res eſt, amplectemur? Immo verò: βέλτιόν ἐϛι, ἐπὶ σωτηρίᾳ γε τῆς ἀληθείας καὶ τὰ οἰκεῖα ἀναιρεῖν. i.e. *ſatius eſt propter adſtruendam veritatem vel ſuam ipſius ſententiam deſerere.* Et: ὅσιον προτιμᾶν τὴν ἀλήθειαν i.e. *ſanctum eſt, pluris æſtimare veritatem:* ut ſcribit Stagirita *lib. 1. Eth. c 6.* Unde deſumptum eſt illud vulgatum: *Amicus Plato; Amicus Se-*

cus Socrates: magis tamen amica veritas; & præclarè *Lactantius lib. III. divinarum institutionum c. 13. Non trahamur authoritate cujusquam: sed veritati potius accedamus.*

II.

Litteraturæ secularis utilitas in disciplinis altioribus: tentata vers. 21. & 30. c. XXV. Matthæi explicatio, conjecturâ novâ: laus Immanuelis Sonthom, & ejusdem explicatio vers. 21. c. XXV. Matthæi: Diæta: Diætarii: Zæta: vetusta quædam inscriptio: species quædam manumissionis per invitationem ad accubitum.

1. Suas esse partes litteraturæ seculari in altiore, & quidem omnium sanctissima Theologia; multi radiis quasi solaribus scriptum reliquerunt. Nos parva ingenii cymbula aliquid ad hunc acervum convehemus.

2. Pulcherrima sunt Salvatoris nostri meritissimi verba, quæ fidelis ejus amanuensis, *Matthæus* historiæ sacræ *cap. XXV. v. 21.* habet: εἴσελθε εἰς τὴν χαρὰν τοῦ κυρίου σου. i.e. *intra in gaudium Domini tui.* Quæ verba suavissimè ab *Immanuele Sonthom* in aureo filiorum Dei cimelio *lib. I. cap. 10.* explicantur: *quia gaudium istud est infinitum; propterea dicit Christus: Intra in gaudium: non verò: intret gaudium in vos. quia nullius cor hominis gaudium istud satis potest complecti ac continere.*

3. Suavissima sanè sunt hæc, & illo auctore, qui ad devotionem excitandam & exaugendam nihil videtur prætermisisse, dignissima. Liceat tamen nobis, salvo superiorum judicio, ac pace ipsorummet integra, conjecturam aliquam adponere; quid soliditatis in se

habeat

habeat, exploraturi, & rectiùs ſentientium juſſu vel ſtaturi vel caſuri. Non erimo ἰσχυρογνώμονες neq; quicquam mordicùs defendemus.

4. Erant veteribus in unica domo conclavia diverſa, adpoſito, in gentium natione, alicujus Numinis, aliàs alterius cujusdam rei, nomine: in quibus cœnabant, & convivia agitabant. Conclavia illa vocabantur DIÆTÆ, in quibus æſtate cœnabat adumbrā, hyeme ad ſolem. Sed quid prohibet adſcribere verba Auctoris lectiſſimi *Laurentij Pignorij, Patavini*? quē nuper ex Italia adlatum benivolè nobiſcum communicavit popularis noſter honoratiſſimus, Dn. *Paulus Marquardus Slegelius*, Chirurgus, Anatomicus, Botanicus celeberrimo, Profeſſor hujus Salanæ elogio noſtro major. Is verò commentario de ſervis, & eorum miniſteriis, pag. CCXLII. *Diætariis ſeu Zætariis diæta nomē impoſuit, Diæta autē fuit vel cœnatio, vel cubiculum; vel cubilis & triclinij appendix.* Abdias: *Jam regnum paratum vobis, & ex coruſcantibus gemmis Zætas inſtructas, plenas gaudij, plenas epulis, plenas delicijs, plenas denig; vita perpetua & lumine æterno, parvo tempore amiſiſtis.* D. Sebaſtianus: *Quantò magis vos illarum debet pulcritudo invitare domorum, ubi ſunt triclinia auro puro radiantia, quæ ex gemmis & margaritis habent Zætas inſtructas?* lib. V. hiſtoriar. Eccleſiaſt. Sar. tom. I

5. *Meminit autem non ſemel Plinius junior. Has, quia multæ erant in unica domo, diſcernebant adpoſito nomine numinis alicujus vel alterius cujuspiam rei. Exemplo ſit celebris apud Lucullum Apollinis Diæta; & illa altera eidem cognominis, cujus in veteri lapide adhuc exſtat mētio:* lib. II Ep. 17. lib. V. Epiſt. 6.

GESTATIO.

CIRCINI, EXTERIOR,

Item in palatio, Hermæum, in quod receſſerat Claudius, excluſus ab inſidiatoribus Caÿ Cæſaris. In eodem Palatio fuit cœnatio nomine Jovis, cujus meminit in Pertinace Capitolinus. Mica Domitiani, & Timonion Antonÿ, indice nõ egent; cum per ſe nota ſint ſatis. Hæc Pignorius.

6. Non igitur vero nobis videtur abſimile, Dominum ac Deum noſtrum ad ejꝯmodi cœnaculũ ſive Diętã reſpexiſſe, cui nomẽ χαρᾶς i.e. *gaudÿ*, impoſitũ: quæ ſanè ſive inſcriptio, ſive appellatio nõ dedecebat locum iſtum, in quo gaudium & hilaritas (ut ita loqui nobis liceat) debaccharentur. Ad hanc conjecturam verbum ἔσωθεν i.e. *intra, ſubi*, manu quaſi nos ducit.

7. Et quid poterat ſervo fideli obtingere jucundius, quàm ſi cœnæ & convictus ſui Domini fieret particeps? Et quidem JCti recenſuerunt ſpeciem manumiſſionis, per accubitum ſervi à domino invitati: deſumpto forſan more è Saturnalibus feriis, quibus, libertate Decembri, ut ille ait, ſervi dominabantur, Domini ſerviebant.

8. Quid? quod verba etiã ſequentia Matth. XXV. v. 30. Τὸν δοῦλον ἀχρεῖον ἐκβάλλετε εἰς τὸ σκότος τὸ ἐξώτερον. i.e. *inutilem ſervũ ejÿcite in tenebras exteriores*; hoc innuãt. Tenebræ n. exteriores opponuntur copioſo tædarũ, lampadũ, lychnorum lumini, quo cœnaculum illuſtrabatur.

III.

Lectio antiqua vocis יְהוָה. *Adducta patrum loca, Origenis, Hieronymi, & ejusdẽ Interpretis Mariani Victorii Reatini; Theodoreti: allata LXX. Interpretum*

tum versio: decem Dei nomina: consuetæ rationes, quibus probari existimatur, antiquiùs vocem יְהוָה *aliter lectam quàm scriptam fuisse.*

1. Nulla diligentia in rebus seriis est nimia; etiamsi vel circa solam corticem, aut rerum nomina, vel nominum etiam lectionem versetur. In nominis igitur, quod Domino ac Deo nostro competit, pronunciationem antiquam inquirere, animus est: quam operã ipse ille, cujus nomen est admirabile, gubernet. *Jud. 13. 18.*

2. Disquisitũ diu est, an ὄνομα πεϱαγϱάμματον יְהוָה ita legi debeat, ut scribitur? Nos, cùm videamꝰ divortiũ esse sententiarum; aliis affirmãtibꝰ; aliis negãtibus, & cõtendentibus: legi debere *Adonai*; cũ puncta vocis יְהוָה sint tantùm mutuatitia, & pertineant ad vocem אֲדֹנָי: quid apud veteres hac de re inveniatur, inquiremus, &, quæ ab uno atq; altero rationes proferãtur, dispiciemus, judiciũ cuivis integrum relinquentes, & utra pars firmiori stet talo, ex cõflictu animadversuri.

3. *Origenes* homil. 14. in Numeros: *In Ebræorum litteris nomen DEI, hoc est, Deus, vel Dominus* (intelligit ut ex ipsis verbis apparet, & Johãnes Jacobus Grynæꝰ in margine addit, nomen יְהוָה) *diversè scribi dicitur. Aliter enim scribitur Deus, quicunq; Deus*; (intelligit nomen אֱלֹהִים) *aliter Deus ipse, de quo dicitur: Audi Israel, Dominus Deus tuus Deus unus est. Iste ergò Deus Israel, Deus unus, & creator omnium, certo quodam litterarum signo scribitur, quod apud illos tetragrammaton dicitur. Si quando ergò sub hoc signo in Scripturis scribitur Deus; nulla est dubitatio, quin de Deo vero & mundi creatore dicatur. Si quando verò aliis* i.e. *communibus litteris scribitur, incertum habetur utrum de Deo vero, an de aliquo ex illis dicatur, de quibus Apostolus dicit: tametsi sunt, qui dicantur* *Deut. 6. 4.* *1. Cor. 5. v. 5. & 6.*

Dij ſive in cælo ſive in terra: ſicut ſunt Dij multi & Domini multi: nobis tamen unus eſt pater, ex quo omnia, & nos per ipſum: Ajunt ergò, qui Ebraicas litteras legunt, in hoc loco Deum non ſub ſigno tetragrammati eſſe poſitum, de quo, qui poteſt, requirat.

4. Origenem excipiat *Hieronymus* litterarum Ebraicarum ſcientiſſimus, epiſt. 136. ad Marcellam: *Illicò ſtudioſiſſimè poſtulaſti, ut tibi univerſa nomina cum ſua interpretatione digererem: faciam, quod petiſti. Primum nomen DEI eſt* אֵל *quod Septuaginta* Θεὸν i.e. *Deum; Aquila* ἐτυμολογίαν *ejus exprimens* ἰσχυρὸν i.e *fortem interpretatur. Deinde* אֱלֹהִים & אֱלֹהַּ *quod & ipſum Deus dicitur. Quartum* צְבָאוֹת; *quod Septuag. virtutum, Aquila exercituum tranſtulerunt. Quintum* עֶלְיוֹן, *quod nos excelſum dicimus. Sextum* אֲשֶׁר אֶהְיֶה, *quod in Exodo legitur: Qui eſt, miſit me. Septimum* אֲדֹנָי, *quem nos Dominum generaliter appellamus. Octavum* יָהּ, *quod in Deo tantùm ponitur: & in Halleluja extrema quoq; Syllaba ſonat. Nonum tetragrammaton, quod* ἀνεκφώνητον i e. *ineffabile putaverunt, quod his litteris ſcribitur* יהוה, *quod quidam non intelligentes propter elemẽtorum ſimilitudinem, cum in Græcis litteris reperirent PI PI legere cõſueverunt. Decimum, quod ſuperius dictum eſt* שַׁדַּי, *& in Ezechiele interpretatum ponitur.*

Exod. 3. v. 14.

5. Addit Marianus Victorius Reatinus ad illa verba Hieronymi: *quod* ἀνεκφώνητον i.e. *ineffabile putaverunt: quod reverentia plenum ſit nomen, veluti quod Deo magis conveniat, ita dixerunt. Ebræi, quia nullum aliud nomen ſit, quod Deum nobis, quidnam ſit, magis exprimat* שֵׁם הַמְפֹרָשׁ *vocaverunt. De Deo enim ut teſtis eſt Dionyſius, magis poſſumus dicere, quid non ſit, quàm quid ſit. Et ſi affirmando de eo loqui volumus: quidnam melius & accommo-*

commodatius de eo dicemus, quam quod sit vera substantia; ille, qui verè sit, hoc est, ὁ ὤν. Delusam olim varijs erroribus gentilitatem, & ab Ebraica veritate, unà cum tempore, quotidiè magis semper delapsam, ab hoc nomine, Jovis nomen, quod multis posteà facinoribus figmentisq; polluerunt, elicuisse aliqui credunt. Jehovæ enim vox Jovi similis est, & jam Græcè à vita ζεὺς appellatur: sicut Ebræis ab essentia, quod idem est יהוה.

6. Comitetur Hieronymũ Theodoretus, qui quæstion. 15. in Exod. ita: *Quid nam hoc est? & nomen meum, Dominus, non indicavi illis.* Huic quæstioni suæ ita respõdet: *Ostendit, quanto honore, quantaq; benevolentia sit eum prosequutus. Quippe qui Patriarchas celaverat nomen suum, hoc ipsum aperuit Mosi. Dixit illi: Ego sum, qui sum, hoc autem nomen apud Ebræos dicitur inenarrabile. Prohibetur enim apud eos lingua pronunciari, scribiturq; quatuor litteris, & ob id τετραγράμμον appellatur. Inscribebatur etiam illud in lamina aurea, quæ vittæ capitis allegata pendebat ad frontem Pontificis. Samaritani vocant illud nomen Jabe; Judæi verò JA.*

7. Maximoperè verò notandum est, quod Origenes, qui paulò post seculum à Christo nato secundum vixit, in Bibliis suis tetraplis & hexaplis in ea columna, in qua voces Ebræas characteribus expressit Græcis, ubiq; pro יְהוָה posuerit Ἀδωναΐ: quemadmodum etiam Vulgatus Interpres Exod. 6. v. 3. pro יְהוָה in Latina lingua posuit Adonai: *nomen meum Adonai non indicavi eis.*

8. Urgent alii & hanc rationem: quod Septuaginta Interpretes semper nomen יְהוָה per κύριος fuerint interpretati; quod Latinis est. *Dominus*, Ebræis אֲדֹנָי unde est אֲדֹנָי: & quod Christus atq; Apostoli, cũ

fæpè ex Fœdere antiquo teſtimonia proferant, in quibus hoc nomen continetur; nunquam tamen Jehova dixerint: ſed ſemper κύριος: cùm tamen alia nomina propria ſuis vocibus expreſſerint, ut Abraham, Jacob, Sara, Noe &c.

9. Solent rationes etiam adduci aliæ, ut: *Primò*, quòd, ubicunq; ſimul occurrunt hæc duo nomina, יְהוָה & אֲדֹנָי ne cogamur bis dicere Adonai; ipſi nomini יְהוָה ſubijciantur puncta nominis אֱלֹהִים. Vide Amos 3. v. 13. אֲדֹנָי יְהוִה i.e. Dominus Deus. Abdiæ 1. v. 1. Habacuc. 3. v. 19. *Secundò*: quod, ſi præcedat hoc nomen littera ſervilis לבכ vel ו, non præfigatur quemadmodum præfigi debebat, hoc nimirum modo לִיהוָה כִּיהוָה בִּיהוָה וַיהוָה ſicut ex יְהוּדָה fit לִישׁוּעָה ex יְשׁוּעָה & בִּיהוּדָה fit. Vide Schickardū Reg. 93. §. 2. & Reg. 125. ſed accipiat mutationem vocis אֲדֹנָי ut fiat בַּיהוָה; perinde ut in voce בַּאדֹנָי. Vid. Schickard. Reg. 107 §. 2. *Tertiò*, quod, ſi poſt vocē יְהוָה ſequatur una ex litteris תפכרגב imprimatur ei dageſch lene: quod fieri nullo modo poſſet, ſi legeretur, ut ſcribitur, יְהוָה: quia poſt conſonam quieſcentem, qualis eſt ה, iſtis ſex litteris nullum dageſch lene inſcribitur. Sin autem pro יְהוָה legam אֲדֹנָי; ultima hujus vocis conſona י movetur ſive legitur, quando coaleſcit in quaſi diphthongum: atq; adeò dageſch lene in ſequente littera בגדכפת locum invenit.

10. Rationes plures conſulto præterimus; quid hactenus adductis inſit roboris, ex amica συμφιλολογία exploraturi.

IV.

Critices uſus, abuſus; utilitas, futilitas: non ſolis eſt veteribus immorandum; ſed nova quoq; addenda:

denda: Verderii audax & temeraria Auctorum ferè omnium censio: Zæta: Diæta: Hermolaus Barbarus: Jacobus Sadoletus: Domitius Calderinus: Philologorum multorum ἀκρίβεια: Cyrillus Lexicographus: Thomas Morus: Philippus Melanchthon: Patrum Ecclesiasticorum nævi.

1. Iniqui sunt in omne nomen litteratorum, qui genuinos in Critica frangunt. Siquidem tractare litteras, non est sine scriptis antiquis. Scripta antiqua nec legi utiliter possunt, nisi intelligas; nec intelligi, sine emendata scriptura. Si litteræ igitur utiles rebus humanis; (&quis ille Thrax, qui hoc neget?) utilis & interpretatio scriptorum veterum, &emendatio. Hoc autem agunt qui Criticam profitentur. *Vid. Lipsi. Lib. IV. Epist. Quæst. pag. 309. Si quis agrum nostrum stantem sentibus deruncinet, beneficium conferre censebitur; non conferent ij, qui à vitijs monumenta purgant, quibus stat & cadit eruditio? Et tamen modus quidam & ars ejus rei est; ne fiat, quod in veteri fabula est: Thracius: qui, cùm vicinum putantem vites oleas & vidisset, ipse à stirpe omnes incidit.* Lipsius sat. Menipp. pag. 642.

2. Sale hinc qui defricentur Satyrico, haud sunt indigni isti, quibus Critica inspeciem est, non inusum: *Lipsi. lib. II. Elect. c. 19.* qui, cùm ipsi nive sint Gallica frigidiores; tanto tamen cum calore in bonos feruntur Auctores; tam ferociter, cum stylo & telo, vocum jugulandarum causa, discursitant; tam severè cum scutica & flagello in Scriptores innoxios invehuntur; ut magno nisu miseri exclamare cogantur: *Prob superi! Ubi Porciæ & Semproniæ leges? Illis lictor, & virga, & se-*

& ſecuris defenſa à tergo noſtra ſunt: & nos flagris notisq; ſervilib. obnoxij agimus adoleſcentum, aut vix virorum. Lipſ. Sat. Menipp. pag. 638.

3. Feroculis iſtis meritô accenſemüs *Claudium Verderium*, qui ſeculo ſuperiori Librum ediditLugduni, hac facie: *In Auctores penè omnes, antiquos potiſſimũ, cenſio: qua receptiſſimorum quorumq; Grammaticorum, Poëtarum, Hiſtoricorum, Dialecticorum, Rhetorum, Oratorum, Jurisconſultorum veterum & recentium, Philoſophorum, Mathematicorum, Medicorum & Theologorum errata quædam deprehenduntur.*

Obſtupui, ſteteruntq; comæ & vox faucib. hæſit

conſpecto hoc tituli portento.

4. Non improbamus, ſi quis vel novi quid adferat, vel modeſtè alicubi veterib. abſentiat, inventa ſententia veriore. Pulcerrimè enim Fabius lib. X. Inſtitutionum Orat. c. 2. *Pigri eſt ingenij, contentum eſſe ijs, quæ ſunt alijs inventa. Quid enim futurum erat temporibus illis, quæ ſine exemplis fuerunt; ſi homines nihil, niſi quod jam cognoviſſent, faciendum ſibi, aut cogitandum putaſſent? Nempe nihil fuiſſet inventum. Cur igitur nefas eſt, aliquid reperiri à nobis, quod ante non fuerit. Ac ſi omnia percenſeas; nulla ſit ars, qualis inventa eſt, nec intra initium ſtetit: niſi fortê noſtra tempora damnamus hujus infelicitatis, ut nunc demum nihil creſcat.* In quam quidem ipſam ſententiam vulgò, (quamvis contrà ſenſum Laberii, qui primus portulit) mimus uſurpatur: *Diſcipulus prioris, eſt poſterior dies.*

5. Sũmo tamẽ opere improbamo, ſi quis laureolam in muſtaceo quærat; ſexagenarios injuſtè de ponte jactet, eaq; effutiat, quæ nemo dignetur Notariorum, ut in Acta mittat. Hujusmodi verò, ita nos bonæ litteræ,

ament,

ament, pleræq; ſunt Verderii: quas vel confundat ſemipaganus, & qui

nec fonte labra proluit Caballino,
nec inbicipiti ſomniavit Parnaſſo.
Perſ. prol. Satyrarum.

6. Ex ungue leonem æſtimate. Hermolao Barbaro, quem Scriptorem moroſum vocat, hoc modo inſultat: *Zetam, pro, Dieta apud Plinium legit; opinatus ſcilicet ſimili vitio, quo Mezentium pro Medentio dicimus, Diætam pro Zeta uſurpatam eſſe. Zeta autem quid præter litteram ſignificet, ignorare me, non eſt, quod celem.* pag. 158.

7. Tantum Criticum hæc ignorare, quod pædotribarum puſiones ex communi ignorantium paracleto, *Ambroſio Calepino*, didicerunt! Nõne Adrianum Turnebum evolvere debuiſſet, qui: *Zetæ*, inquit, *quæ ſint, quæſtionis eſt? Ego Diætas interpretor. Ut enim pro* διαϖλητος ζάϖλητος *dicitur; ſic pro Diæta, Zeta. Reperio in Antonini Itinerario, Hipponem* Zarrhytum, *pro*, Diarrhyto: *& apud Cyprianum* Zabulum, *pro*, Diabolo. *Eſt autem* Zeta, *vel*, Diæta *ædificium, vel, membrum domus, cœnationem & cubiculum habens. Plin. lib. V. Epiſt. cap. 6.* Contra mediam ferè porticum Zeta paulum recedit. *Sequitur in Lampridio:* (hunc enim Turnebus emendandum ſuſceperat) Eſt in hac Zeta dormitorium cubiculum, quod diem, clamorem, ſonum, excludit: junctaq; ei quotidiana amicorumq; cœnatio. *Hæc Turnebus lib. XXIV. Adverſ. cap. 4.*

8. Alexander ab Alexandro: *Fuit moris priſci, ut juxta Zetam heliocaminus conſtrueretur: Zeta enim locus erat unius cubiliscapax, ſolem hybernum proſpectans; ita conſtructa, ut per heliocaminum vaporem acciperet. Erat enim cubiculum hybernum, frigori accommodatum; quod nunc ſole, nunc igne æſtuaret.* lib. V, Genial. dier. c 5.

9. Sidonius Apollinaris: *Praterea si vir illustris aliquis insuper ampliusculè scribi depoposcerat; moras grãdes incidissemus: nam per armariola & Zetecculas nostras non remanserunt digna prolatu.* lib. IIX. ep. 16. Idem: *Supra dicto tam diu potes uti libello, ut eum nõ amplius Zetecula tua, quàm memoria includat.* lib. IX. ep. 11.

10. Gvilielmus Stuckius: *Zetam quoq; Lampridius in Heliogabalo adpellat ἀπὸ τῦ ζῆν, quòd in eo hilarius viverent: Plinius junior etiam Zeteculam dixit. Brodaus* lib. III. Miscell. cap. 14. *Pro loco, in quo suscipiuntur hospites, ut & Diætam usurpari dicit; non ab hujus litteræ imagine ac similitudine, sed ἀπὸ τῦ ζέειν, ab aquæ ferventis in hoc fornice Euripo: aut παρὰ τὸ ζῆν. Nec desunt, qui Dorè Zetam, pro, Diætam, ut ζαβάλλω, pro, διαβάλλω efferri testantur.* Lib. II. Antiq. Conviv. cap. 14.

11. Caspar Barthius: *Zeta, pro, Diæta, exstat apud Plinium in Epistolis: de quo elegans Diatribe exstat Antonij Velseri.* Paulo post: *De Zeta verò memini & nonnihil suo ævo cum paucis eruditum virum Hermolaum Barborum in Glossario Pliniano notasse.* lib. XXIX. cap. 1. Adversariorum. Adde Henricum Salmuth super Gvidon. Panciroll. pag. 131, 132. & ea, quæ nos paulo ante de Diæta & Zeta protulimus. Eat nunc Verderius, & neget: Zetam (quæ vox ut vidimus, etiam Zæta, scribitur) significare quicquam, præter litteram Græcorum.

12. Idem Verderius Jacobum Sadoletum perstringit. pag. 158. *Jacobus Sadoletus, tametsi se ad Ciceronis imitationem formare studuerit: haud receptas tamen Theologorum voces usurpat; & Episcopos, provinciarum præsides appellat.* Quæsumus te, bone lector, quid dixit Verderius? quæ hæc est adversativa locutio? Ita dicere

debuisset

debuisset Aristarchus: *Jacobus Sadoletus cùm se ad Ciceronis imitationem formare studeret; haud receptas Theologorum voces usurpat &c.*

13. Idem pag. 30. *Domitium Calderinum audire nõ possum: extra rem ad asarota pavimenta transit, derivatq; ab intentiva particula, & σαίρω, quod est verro. Eo modo pavimenta omnia asarota essent: verruntur enim omnia.* Acumen vulpeculæ! Nescit, *inter vocem & rem nullum esse nexum necessitatis: si excipias nomina divinitus imposita*: Petrus Molinæus lib. II. Log. cap. 12. *Manubrium* dicitur, censente *Varrone* lib. V. de L.L. quod *manu teneatur*. Ergone quicquid manu tenetur, est manubrium? *Merula* dicitur, quod *mera*, id est, sola volet: Ergone, quæcunq; avis sola volat, est merula?

14. Est ratiocinatio, cujusmodi crebra est apud Philologos, qui plerumq;, ne per transennam quidem aspecta Logica & Philosophia, ad lectionem properant vetustatis, ludibrium sapientibus per omnem ætatem debituri, & tantùm non ad Judæorum credulitatem accessuri; de quibus Rabb. *Salomon Jarius* in vers. 11. cap. XVII. Deuteron. *Etiamsi dixerint Rabbini, de manu dextra, quod sinistra sit; & de manu sinistra quod dextra sit; credendum id Judæo.* *Et Buxtorfius* in Synagog. Judaic. cap. I. de Judæis. *Si duo Rabbini inter se contendant, & pugnent, ac sermones contradicentes proferant, non minus credendum: utrumq; doctrinam suam à Mose accepisse, & utramq; sententiam verbum Dei viventis esse.* Multi ex Philologis, (quo nomine homines sæpè ignari & ignavi nuncupari volunt) his sunt simillimi, multum habentes lectionis, nihil judicii: unde, quicquid legunt; vel absq; ratione, anili credulitate amplectuntur; vel, sine causa, insipidè rejiciunt.

 15. Idem

15. Idem pag. 26. *Quid de Cyrillo, illo Lexicographo dicam? eum omittamus, paſsim mancum, errorumq; plenum.* Hoccine eſt, Criticum agere; prætoria autoritate, absq; ullo rationum ac demõſtrationum fulcro, ſcriptoribus non dicam ſolùm ſcribere, ſed penitus nigrum theta præſcribere? Quid cogitaret Verderius, ſi hic, ipſum imitati, ſcriberemus? *Quid de Veiderio, illo cenſore, dicamus? eum omittamus, paſſim mancum, errorumq; plenum.*

16. Idem pag. 163. *Thomas Morus, Angliæ Cancellarius, Rempublicam ſuam non rectè Utopiam appellavit; quam Udetopiam adpellare oportuit.* Nova ſubtilitas! Si Verderio ab οὐδὲ & τόπος dicere licet, *Udetopia*: quidnî etiam Moro ab οὐ & τόπος, *Utopia*? Lapſus tamen eſt alibi Morus, in Epigrammatibus:

Ventum erat ad vinum; cùm ſic ſua lumina mœſtus
adfatur, poſito jam peritura mero:
Huc iter eſt: huc vos fidi duxiſtis amici.
HUNC bibite; & dulces ambo valete Duces.

Hoc vinum dicere oportuit; non, *hunc*.

17. Idem pag. 154. in Melanchthonem detonat: *Ecce alius Grammaticulus, qui ſacras etiam litteras perſcrutari, & inquinare contendit: Philippum Melanchthonem intelligo. Audi quomodo tam puſillo homunc de magnis viris obloquatur: Ambroſium & Hieronymum cum judicio lege, inquit: ſunt enim in eis nõ parum multa, quæ Apoſtolicæ doctrinæ videntur adverſari. Certè ſententiam Pauli & Prophetarum Hieronymus non eſt adſecutus. Cyprianus & Hilarius ijs ſunt paulò ſolidiores: & in cauſa gratiæ, certè Cyprianum non aſpernandum puto; ſed & ipſe non rarò Scripturas torquet. Veterum ac novorum, mihi crede, pauci fuêre, qui legis & gratiæ diſcrimen pro-*

prie

priè intellexerint, & juxta Pauli ſententiam tractarint. Auguſtinus in diſputatione de gratia, hoc tantum agit contra Pelagium: non poſſe ſine Spiritu Sancto à nobis fieri bonum opus, h. e. moralium virtutum opera planè peccata eſſe.

18. His Philippi Melanchthonis verbis hanc ſubjungit Thraſonicam exclamationem: *bone Deus! quot ſectæ ortæ ſunt? quot homines noſtra ætate paginas ſacras laceraverunt! eas cerdones, ſartores, ſutores, olitores, & viles fœminæ pollutant: quid nunc opus doctoribus, cùm quisq; ſibi ſacrarum litterarum intellectum fingat? Errorum plena ſunt omnia.*

19. Verum enim verò

Turpe eſt cenſori, cum culpa redarguit ipſum.

Reprehendit Philippum, quod quædam in Patribus notaſſet: quid de ipſo dicemus, qui in quosvis ferè veru ſuum cenſorium audacter ſtringit? Ita enim pagina 148. *Superſunt jam Theologi. Ac inprimis erit Juſtinus Martyr, qui nimium Platoni detulit, adſerens ipſius doctrinam ab Evangelica non eſſe alienam: tametſi apud Platonem quædam ſint, quæ Chriſtianis non modò improbentur, ſed etiam gentium moribus adverſentur; ut: mulieres eſſe communes; & non nulla id genus. mirum eſt, ac, ſi auſim dicere, novum Chriſtianum dedecuit, mutata ſententia, & toto vitæ inſtituto, ethnici Philoſophi non deſeruiſſe indumenta: hoc enim de Juſtino perhibetur. Clemens Alexandrinus Platonem, Moſen Athenienſem appellare; non eſt veritus. Is non agit Theologum, ſed moralem Philoſophum. At illo tempore fides maximè firmanda erat: bonos enim mores à pravis natura ipſa ſecernit. Origenis errores ſunt notiſſimi. Arnobius quoq; Platonem, Chriſtianum Philoſophum appellavit. Hic & Cyprianus*

Afrè loquuntur: Tertullianus perturbatißimè. Elegantissimus Christianorum Lactantius; quem tamen quam plurimis erraſſe, compertum eſt. Theodoretum, Nicephorum, Abdiam, & Apocryphos quid memorem? Aurelius Auguſtinus, quoad cõtextum orationis, Africitatis multum habet, non perindè in dictionibus. Hunc hæreſeos reprehendit Hieronymus: idemq; cornacem appellat, Ambroſium. Et certè Auguſtinus (hoc dicam cum venia) nimis curiosè ait, ſe in Platonis libris ſacræ Triadis inveniſſe myſteria: quæ ſolo naturæ lumine capi, tam eſt difficile, quàm lunam dentibus apprehendere. Cum ternarium numerum laudaret Plato; non ideò de Sacroſancta Triade intellexit: quam nullus unquam niſi per revelationem, ut Prophetæ; aut per fidem, ut Chriſtiani, capere potuit. Ambroſius in hac ſententia; Deus mutare ſententiam novit, ſi tu mutare conſilium noveris: quanquam excuſari poteſt (loquitur enim humano modo, ſicut & Geneſeos 6. Deum pœnituiſſe habetur) loqui tamen magis propriè potuit & debuit &c. Pſalmos ita vertit Hieronymus, ut ſententiam imperfectã aliquando habere videatur: aliquando, quid ſibi velit, intelligi vix poteſt. Poſtmodo ſubjungit aliquot malæ verſionis exempla.

20. Quis huic, præ Philippo, poteſtatem dedit, ſententiam de Patribus ferendi, & quidem talem, quã ſi juſta ſtatéra appendere velimus, oppidò erroneam invenimus? Sed examen *συζητήσει* reſervamus.

V.

Quintiliani locus in picturæ commendationem: minus curioſa hodierni ſeculi pictorum manus reprehenditur, quæ in triclinio divitis Luc. 16. Lazarum delineavit, & canes vegrandes eum lingentes; ac

cornu-

cornutum Exod.34. Moſen: Janitorum varia adpellatio; officiũ; cui & mulieres præfuerunt: Eorundem catenata adligatio, qua illis, quos in cuſtodia habebant, ſociebantur: S. Petri Actor.12. adligatio hinc intelligenda.

1. Quintil.lib. XI. cap.3. *Pictura, ait, tacens opus, & habitus ſemper ejusdem ſic in intimos penetrat adfectus, ut ipſam vim dicendi nonnunquam ſuperare videatur.* Senſerunt hoc olim naufragi. etenim eos prætuliſſe ſuos caſus in tabula pictos, ad eliciendam hominum miſericordiam; notius eſt quam ut referri debeat. Inſtar omnium ſit teſtimonium obſcuriſſimi Satyrici Perſii:

Men' moveat quippe? &, cantet ſi naufragus, aſſem
Protulerim? cantas cum fracta te in trabe pictum
Ex humero portas? Satyr.1.

2. Cauſas quoq; acturi frequenter ſolebant exhibere *depictam tabulam in imaginem rei, cujus atrocitate, judex erat commovendus.* Quintil. lib.VI. c.1. Sed procul dubio artificioſiùs quondam imagines rerum & factorum, quàm pleriq; noſtri ſeculi expreſſerunt. Poteſt ne quicquam ineptius aut cogitari, aut fingi, quàm in triclinio divitis Lazarum delineare? Scilicet Janitores admiſiſſent hominem ulceribus ſcatentem, dorſo ipſi luituri, quicquid oculos nauſeabundi Domini offendiſſet. Canes verò immanes illi villatici & venatici num oblectabant Dominum cænantem? Appage. *Luca. 16. v.30.*

3. Catelli quidem in delitiis triclinaribus habiti ſunt, ut teſtatur mulier Chananæa apud Evãgeliſtam, & indicant ſculpturæ antiquorum marmorũ, apud *Matth.15. v. 27.*

Vulc.

Fulf. Urſinum in Appendice ad Petri Ciacconii lib. de Triclinio: cæterum moloſſos & ejus generis reliquos nemo in convictum niſi ruſticus, recepiſſet. Ab eadem pictorum craſſitie venit Moſes Cornutus. At quisquis pictorum noſtrorum ruditatem voluerit corrigere; is profectò otium deſperaverit omninò: adeò ineruditi ſunt pleriq;, adeò cognitionem omnẽ antiquitatis turpiter abiecerunt.

Exod. 34. v. 29. vulgata.

4. Mentio ſuprà eſt injecta *janitorum*, quos & *oſtiarios* vulgo; *clauſtritimos* veteres, ut eſt apud Agellium lib. XII. c 10. *pueros ab janua*, Cornelius Nepos in Hannibale, appellant. Hi aditum obſidebant; ut admitterent nimirum, vel dimitterent eos, qui Dominum convenirent. Cicero oratione pro Plancio: *neminem â congreſſu meo neq; janitor meus, neq; ſomnus abſterruit*. S. Bernhardus meditat. c. 5. *Cùm enim Chriſtus cordis oſtium cuſtodit, & eſt cordis oſtiarius, ut per illum ingrediantur & egrediantur omnes familiæ cordis; conſequenter adſunt millia millium Angelorum ad fores exteriorum ſenſuum excubantium: nec audet alienigena erumpere terribiles illas acies, propter oſtiarii reverentiam & Angelorum cuſtodiam*

Agell. lib. 12. c. 10.

5. Invenimus quandoq; mulieres etiam *janitrices* fuiſſe. Plautus in Curculione: *Anus hîc recubare ſolet cuſtos janitrix*. Ab hoc more ſunt ancilla oſtiaria in Evangelio, & Rhode puella in προθυροφύλοις, quæ, Petro oſtium pulſante, proceſſit ad audiendũ. Janitores autem & oſtiarii ideò fores obſervabant; quia ſordidum videbatur, appenſo marculo, eos fores pulſare.

Matth. 26. v. 69.

Act. 5. v. 13.

6. Oſtiarii præterea fuerunt catenati. Columella lib. I. *an putem fortunatius, â catenato repulſum janitore; ſæpè nocte ſera foribus ingratis adjacere?* Suetonius de claris oratoribus; *L. Votacilius Pilutus ſerviſſe dicitur*

atq;

atq; etiam oſtiarius, veteri more, in catena fuiſſe. Fuit inſuper janitoris comes plerũq; canis. Seneca lib. III. de ira c. 37. *Iratum vidiſti amicum tuum oſtiario cauſidici alicujus aut divitis, quod intrantem ſubmoverat; & ipſe pro illo iratus extremo mancipio fuiſti. Iraſceris ergò catenario cani? & hic, cum multum latravit, objecto cibo manſueſcit.* Hic erat mutus, vel potius vocalis cuſtos, qui, janitore dormiente vigilaret. Janitori enim vigilia indicta erat.

7. Quod de oſtiario diximus catenato; illud etiã de cuſtodib. captivorum eſt intelligendum. Is enim, qui in noxa erat, catenam manui dextræ alligatã habebat, quæ eadẽ militis ſive cuſtodis ſiniſtram vinciret. Satis apertè Seneca de Tranquill. lib. I. c. 10. *Sed quid refert? eadem cuſtodia univerſos circumdedit, alligatis etiam qui alligaverunt. Niſi tu fortè leviorem in ſiniſtrâ catenam putas.* Idem Epiſt. 5. *Quemadmodum eadem catena & cuſtodem* (emẽdat J. Lipſius, *cuſtodiam*, ita enim ipſe captivus dicebatur) *& militem copulat: ſic iſta, quæ tam diſſimilia ſunt pariter incedunt.* Joſephus lib. XVIII. cap. 8. de captivo Rege Agrippa: *Centurionem illi ſatis benignum adpoſitum, & militem, cum quo vinciretur, humanum.* Auguſtin. in Pſalm. 128. *ligantur duo, & mittuntur ad judicem, latro & colligatus. Ille ſceleratus, iſte innocens, una catena ligantur, & longè ſunt à ſeſe.* Tenendum & hoc: duos ſæpè milites uni reo datos, ut arctius cuſtodiretur. Hinc intelliges verba S. Hiſtorici: πέτρος κοιμώμενος μεταξὺ δύο στρατιωτῶν δεδεμένος ἁλύσεσι δυσὶ, φύλακές τε πρὸ τῆς θύρας ἐτήρουν τὴν φυλακήν. *Petrus inter duos milites, vinctus catenis duabus, & cuſtodes ante oſtium cuſtodiebant carcerem.* Catenæ autem hujusmodi erant longiuſculæ, ut pariter incedere non in-

Act. XII. v. 6.

cõmodè possent. Vide Vernunfftspiegel Jacobi Martini lib. II. cap. 41, de usu historiarũ in sacra Scriptura.

VI.

Nova querela super judiciis Criticorum: Cujusdã nota censoria invoce χοραζὶν Matth. 11. v. 21. adducta versio Syriaca illius loci; ut & Hieronymus de locis Ebraic: sitq; urbiũ Chorazin, Bethsaida & Capernaũ.

1. Conquesti jam antè fuimus de nimia Criticorum, in expungẽdo & emendando, libertate. Sed, ecce! ad novum scopulum deferimur, qui cymbulam nostram in lectionis cursu impedit sistitq;. Tolerari autẽ ille Criticorum pruritus posset æquiùs, si intra secularium scriptorum limites se contineret. Verum enim verò ruptis carceribq; & effractis clathris sacros quoq; autores invadit. Haud multum temporis abiit, cùm prodiére libri duo variarum observationum cujusdã E. ubi lib. II. cap. 6. hæc nobis occurserunt: *Mirum sanè quòd communi sententia adfirmetur, Servatorem nostrum apud Matthæum cap. XI. v. 21. de certa aliqua urbe loqui, cui nomen χωραζὶν: cum tamen ipsum ἔτυμον errorem prodat. Non enim Evangelistam Scripsisse, χωραζὶν, sive ut alij corruptè legunt libri χοραζὶν, sed χώρα ζὶν patet cùm ex ipsa origine vocis, tùm etiam ex cap. XXVI. Φιλοκαλίας Origenis, ubi hanc Christi sententiam citans, expreßißimis verbis scribit: οὐαί σοι χώρα ζὶν &c. Væ tibi regio Zin. Hinc certè colligimus ζὶν fuisse regionem obsidentem ripam Jordanis & littus maris Galilææ: cui adjicitur vox χώρα ad differentiam deserti Zin, sive Sin in quo Cades, Num. XIII. v. 22. Deut. XXXII. v. 51. Negq; tamen inficias eo, regionis istius μητρόπολιν vocatam etiam fuisse ζὼ, quam unam fuisse urbium existimo in Decapoli.*

2. Mirum, quî homini erudito talia in mentem venir e

venire potuerint. Nullam enim hîc faciendam vocis diviſionem neq; regionem aliquam, ripam Jordanis & littus maris Galilææ obſidentem (quæ ad Thomæ Mori Utopiam pertinet) intelligendam, vel clauſis in totum patet oculis Homericis, ex verſu præcedente, qui ita habet: Τότε ἤρξατο ὀνειδίζειν τὰς πόλεις, i. e. *cœpit exprobare civitatibus*, non regionibus: quænam verò illæ fuerint civitates, poſtmodò exprimitur; nimirum *Chorazin & Bethſaidæ*.

3. Prætereà verſio quoq; Syriaca, quæ non heri demum, aut nudiuſtertius eſt nata, vocem nõ dividit ſed tanquam unam legit ܟܘܪܙܝܢ. quid? quo tota ferè antiquitas nunquam de voce hac dividenda cogitaverit. Et certè urbẽ eſſe Chorazin, ut & Bethſaida, omniũ teſtantur Geographorum tabulæ: ex quibus etiam conſtat, tres haſce urbes, Bethſaida, Capernaũ & Chorazin, admodum fuiſſe vicinas.

4. Ad ratiunculas noſtri Cenſoris reſpondemus: non propterea à nobis licere voces dividere; quod aliqua etymologiæ ratio adpareat: cũ multæ abſurdiſſimæ explicationes ita eſſent enaſcituræ. Deinde unius Origenis lectionem, quæ tamen varia, ac proinde adhuc dubia eſt, tanti non eſſe roboris, ut tot ſeculorum conſenſum infringat. De hac urbe ita Hieronymus de locis Ebraicis: *Chorozain* (ita etiã habet vulgata verſio) *oppidum Galilææ, quod Chriſtus propter incredulitatem miſerabiliter deplorat & plangit: eſt autem nunc deſertũ in ſecundo lapide à Capharnaum*. Quod etymologiã adtinet; ea dari facilè poteſt à כרז i. e. *promulgavit, proclamavit*, ita ut innuatur, fuiſſe urbem ſatis decantatam & celebrem. Exemplar, quod legat χωραζὶν videre nõdum licuit.

licuit. Valde igitur veremur, ne acumen hoc criticum in ſpongiam incumbat. VII.

Superſtitioſa Rabbinorum accuratio: conſideratus Haggai I. verſiculus 8. & inquiſitum in rationes omiſſæ litteræ ה *in voce* אֶכָּבֵד: *Viſum, an res vulgo numeratæ quinq́, templo ſecundo defuerint?*

1. Ut non omnia Judæorum commenta cenſemus adſpernãda: ita non omnia cenſemus laudanda aut extollenda. Sæpè vitrum lambunt, & pultem non attingunt: ſæpè corticem ſcalpunt, nucleum relinquunt. Ut loca jam alia prætereamus: quid non argutiarum adferunt? quid nõ acuminis oſtendunt in voce אֶכָּבֵד Haggæi. I. verſ. 8.

2. Videre licet iſtas ſubtilitates apud Galatinũ lib. IV. de arcanis catholicæ veritatis cap. 9. Producit ille non nulla loca, quæ Judæorum ſententiam evidenter oſtendunt. In Talmudh enim, lib. *Sanhedrin* cap. אלוהן הגלין i.e. *iſti ſunt captivi*, ſic dicitur: *Rabbi Samuel ait: quinq́ res defuerunt in ultimo templo, quæ in primo fuerunt. Et unde probatur? Ex eo quod dictum eſt Haggæi I. capite: adſcendite in montem & adferte lignum & ædificate domum; & delectabor in ea* וְאֶכָּבֵד i.e. *& honorabor, dixit Deus.*

3. *Porrò* וְאֶכָּבֵד *diminutè ſcriptum eſt ſine littera* ה, *quæ quinq́ deſignat ad ſignificandum quiuq́ res, in quibus ſanctuarium ultimum fuit à primo diminutum: videlicet Ignem, Arcam, Urim & Tummim* i.e. *lumina & ſimplicites, hoc eſt, rationale judicij, Oleum unctionis, & Spiritum Sanctũ* Gloſſa a. Rabbi Salomonis ſuper verbo וְאֶכָּבֵד ſic dicit: *Deeſt hîc littera* ה, *quæ quinq́ ſignificat; ob quinq́ res, quæ in ſecundo templo defuerunt, & in primo fuerant, videlicet, Urim & Tummim*, i.e. *lumina & ſimplicitates, hoc eſt, rationale judicij, & Arca, & Ignis, & Divinitas, & Spiritus.*

Item

4. Item in libro יוֹמָא sic legitur: *Dixit Rabbi Aha: quid est, quod in verbis* וְאֶכְבְּדֶךָ *deest littera* ה. *quia per ipsam designantur quinq; res, quæ fuerunt in primo templo, & defuerunt in ultimo. Hæ autem sunt: Arca cum propitiatorio & Cherubim; Ignis (qui* è cælo descendebat ad cõburenda sacrificia) *Divinitas, sive Dei gloria;* (quæ aliquando in Sancto Sanctorum inter Cherubim adparere solebat, ut explicat Franciscus Ribera in commentario super caput primum Haggæi) *Spiritus S.* (i.e. Prophetia, seu Spiritus S. loquens per Prophetas, ut interpretatur Schindlerus in Lexico) *& Urim ac Tummim, hoc est, lumina & simplicitates,* i.e. rationale judicii.

5. In מְדְרַשׁ שִׁיר הַשִּׁרִים i. e. *in expositione Cantici Canticorum* supra illud VIII capite vers. 8. soror nobis parva & ubera non sunt ei: ita dicitur: *soror nobis: isti fuerunt adscendentes de captivitate parva: quia fuerunt inopes in exercitibus, ubera non sunt ei: hæc sunt quinq; res, in quibus ultima domus exstitit à prima diminuta.* Supersedemus aliorum Ebræorum addere cõmentationes.

6. Suspecta autẽ nobis acuta hæc est interpretatio. Nam 1. Ipsi Judæorũ Doctores in adsignanda omissæ litteræ ה ratione dissentiunt. Alii, ceu vidimus, ut numerum quinarium compleant, adcensent oleum unctionis; Alii Divinitatem sive gloriã Dei. Deinde mirabilis est argumentatio: Omissa est littera ה, cujus tamẽ posita est vocalis: Ergò notatur quinq; rerum absentia. Nam Ezechiel. XXIII. v. 16. itidem omissa est littera ה, in voce תַּעְגְּבָה pro תַּעְגְּבָה quæ ponitur loco תַּעֲגֹב i.e. *concupivit*: & tamen nemo unquam Judæorum statuit quinq; rerum absentiam notari. Adfert non nemo loco instantiæ אַבַּרְדְּ Numer. XXIV. v. 11. אַבַּבְּד 1. Samuelis II. v. 30. יִכְּבֵד Esai. LXVI. v. 5. dicitq;: *Et antè captivitatem Babylonicam interdum* ה *deest*, ut in

adlegatis exemplis. *Si igitur valeret argumentatio antea recitata: tum concludendum esset: etiam ante captivtatem Babylonicam quinq; res in templo defuisse.* Sed si accuratius rem intueamur; adparebit: hæc loca minus convenienter huc accommodari: cum agatur de omissa littera ה, quæ adesse debebat, poscente sic sua vocali adposita; ut in exemplo ex Ezechiele citato. In posterioribus verò locis, nulla adparet ratio, cur ה dici debeat omissum.

7. Etiamsi verò hæc omnia relinquamus intacta: explicationem tamen illam de rebus istis quinq; in templo secundo amissis, infirmo admodũ stare talo, vel evidenti hac ratione evincitur: quod radiis solaribus clarius sit; Spiritũ S. sive donum Prophetiæ nequaqnam defuisse; cum habuerit Prophetã Haggæum, Zachariam, Malachiã. Quid? quod & Caiphas summus Sacerdos prophetarit, quamvis satis imprudẽs: *Vos nescitis quicquam nec perpenditis, quod expedit nobis, ut unus homo moriatur pro populo, ac non tota gens pereat* Hoc autẽ à semetipso non dixit: sed cum esset Pontifex anni illius, vaticinatus est, quod Jesus moriturus esset pro gente; & non tantum pro gente; sed ut filios Dei, qui erant dispersi, congregaret in unum. Johann. XI. v. 49. 50. 51. & 52.

8. Quod adtinet absentiam Ignis, Arcæ, Urim & Tummim, & deniq; olei: de ipsorum in templo secundo præsentia prolixè disputant Franciscus Ribera in caput 1. Haggæi numero 11. & sequẽtibus; Wolfgangus Francius disputation. V. & XI scholæ sacrificiorum Patriarchalium sacrę. Nostrum non est serrã hanc laboriosiùs reciprocare. Quid possint humeri, quid ferre recusent, ex amico commilitonum colloquio, experiemur.

MANTISSÆ.

NOnliquet, quî satis validè *Ruffinum*, qui scripserat: *quid tibi videtur? habesne ultra aliquid, quò nervos tuæ loquacitatis intendas?* reprehendat *Hieronymus*: *Et indignaris*, inquiens, *si putidè te loqui arguam; cum comediarũ turpitudines, amatorumq; ludicra, Ecclesiasticus scriptor adsumas?* Apolog. III. in *Ruffinum*. Scimus eadem ratione & *Tullium* dixisse: *magnũ onus & mihi pericu-*

periculosum; verùntamen dignum, in quo omnes nervos ætatis industriæq; meæ contenderem: Verrina secunda. Idem ad *Q. Fratrẽ*: *sic contende omnibus nervis & facultatibus. Lactantius* Patrum Latinorum tersissimus: *Quid multis opus est ad mundi regimen sustinendum? nisi fortè arbitremur si plures sint, minus habere singulos nervorum atq; virium* Lib. 1. de falsa Religion. c. 3.

2. Malè scribit *Trapezuntius*: *Gradatio est, cum consequentia membra ab iisdem* verbis casu mutatis *oriuntur, quibus antecedẽtia clauduntur, hoc pacto: Africano virtus gloriam, gloria æmulos, æmuli mortem præparaverunt.* Lib. V. Rhetoricæ, pag. 667. Gradatio n. æquè fit etiam si casus non mutantur. ut, apud *Tertullianum: Ubi voluptas, ibi studiũ, per quod scilicet voluptas sapit; ubi studium ibi & æmulatio per quam studium sapit. Porrò ubi æmulatio; & furor, & bilis, & iræ, & dolor.* Lib. de *spectaculis* c. 15. Idem: *cui veritas comperta sine Deo? cui Deus cognitus sine Christo? cui Christus exploratus sine Spiritu S. Cui Spiritus S. adcommodatus sine fidei Sacramento.* Lib. de Anima c. 1

3. Nugales esse multas Gramaticorum antiphrases, non dubitamus. Producamus unam. Scribit Festus: *Damiũ sacrificium, quod fiebat in operto, in honorem Bonæ Deæ, dictum à contrarietate; quod minimè δημόσιον* i. e. *publicum. Dea quoq; ipsa Δαμία, & sacerdos ejus Δαμίας adpellabatur.* In operto factũ, fatemur. Nam Athenis in ædibus ejus, qui eopse anno Rex esset, à Regis conjuge; Romæ à consule aut eo absente, vel cœlibe alive causa obstante, apud Prætorem fiebat. Sed ea non est adpellationis ratio; Verùm quod pro δημῳ sive populo fieret; ut testatur *Cicero* de Arulpicum responsis: & *Juvenalis* Lib. III. Satyr. 3. de hoc sacrificio:

Pro populo faciens quantum Laufella bibebat.

Idem tamen, & si perperam, cũ *Festo* sentit *Turnebus* comẽtario in Lib. II. *Ciceronis* de Legibus. Cujus magni Viri, ut lapsus memoriæ alios taceamus; unũ hic notare liceat. Scribit ipse Lib. XXIIX. Adversariorum cap. 22. *Demosthenem*, diligẽtissimum *Thucydidis* imitatorem *Thucydidem decies* descripsisse; *Robertus Titius* Lib. IV. Adsertionum cap 5. *septies.* Atqui *Lucianus* Tomo II. περὶς ἀπαίδευτον, unde isti sua desumpserũt octies memorat: τὰ τῦ θυκυδίδυ παρὰ τῦ Δημοσθένυς ὀκτάκις μεταγεγραμμένα. i. e, *Thucydidis scripta à Demosthene octies sũt trãscripta.*

4. *Pom-*

4. *Pomponius Mela*, non latis adcuratus Herodotri Epitomator: *Super extimos* ait, *Africæ populos grandis littoris flexus grandem insulam includit, in qua tantum fœminas esse narrant, toto corpore hirsutas, & sine coitu marium suaſponte fœcundas: adeò asperis efferisq; moribus, ut quædam comineri, ne reluctentur, vix possint. Hoc Hanno retulit: & quia detracta occisis coria pertulerat, fides habita est.* Qua integritate hæc ex *Hannone* proferat ipsius *Hannonis* verba clamabunt. Ita autem ipse in Periplo: *Erăt illic multò plures viris mulieres.* Et paulò pôst: *Nos persequẽdo, virorum capere neminem potuimus: omnes enim per præcipitia, quæ facile scandebant, & lapides in nos coniiciebant, evaserũt.* Tãtumdem igitur fidei habemus ipsi, quantum *Luciano*, narrãti Lib. I. ἀληθοῦς ἱστορίας: *In Luna sibi visam gentem hominum, qui, quid sit fœmina, omninò ignorent: mares autem concipere, non in ventre, sed in suris: quibus tumescentibus, resecto suo tempore crure, fœtum educant mortuum; tùm eundem ad ventum hiantem exponentes mulceant, & ad vitam excitent. Alios item* ὄρχιν ἀνθρώπου τὸν δεξιὸν ἀποτεμόντας, ἐν γῇ φυτεύειν, *unde homines nascantur: qui primitùs è glandibus cubitalibus effigiẽtur in figurã hominis,* ἀνδρεῖα *a. gestẽt adpositicia, ditiores eburnea, pauperes lignea.* Merito subijcimus verba *Luciani:* δεῖ τὺς ἐντυγχάνοντας μηδαμῶς πιστεύειν αὐτοῖς.

5. Q. An Ens nominaliter, & in sua latitudine sumptum, habeat principia & causas essendi? D.

6. Q. An, si dormiens delinquat, sit puniendus? D.

7. Q. An noctãbulo, si alicui noceat, omni culpa careat? D.

8. Q. An, qui alicui cum protestatione, & honoris præfatione, dicit: *Tu mentiris*: ipsum injuria adficiat. N.

9. Q. An patria bono civi plus sit diligenda se ipso, vel parentibus? D.

SCrutaris loculos veteres pariterq; recentes,
Jngenii capiens hinc locupletis opes.
Te vigilans Phœbus videt impallescere chartis,
Te nocturna videt volvere Luna libros.
Jpse lubens acclamo Tibi: FELICITER: *ampla*
Præmia jam monstrat noster Apollo Tibi.

Paulus Marquart Slegel Hamb. P. P.

FINIS.

ULB Halle
003 770 125
3

f
5b

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-576340-p0041-6

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-576340-p0042-1

11356.

18.1638,3
3

PHILOLOGEMATA,

sub

PRÆSIDIO

CLARISSIMI ATQUE EXCEL-

LENTISSIMI

VIRI

DN. JOHANNIS MI-

CHAELIS DILHERRI, M. PHI-

LOLOGI CELEBERRIMI,

Orator. Historiar. & Poës.

Prof. Publ.

Præceptoris sui omni honoris & reverentiæ

cultu devenerandi,

Placidæ συμφιλολογέντων ζητήσεις

publicè propositæ

In Auditorio majori

Addiem Augusti

AB

HENRICO STAPHORST HAM-

BURGENSI.

ANNO

clɔ Iɔc XXXVIII.

JENÆ,

PRELO LOBENSTEINIANO.

Theol. Crim.

1836.